



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

38 A Beato Aphrate, & à S. Theodoro locustae fuerunt fugatae &
quomodo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

nunquam dum infidelitatis tenebris obvoluerentur, pluisset triennio, mox Vulpedi solertia, habita Christi fide, ac divino baptismo suscepto, in tantam copiam ingruerunt pluvia: ut campifœcunditate ubique exuberarint, ut testatur Bed. in *Aug. hist. lib. 4, c. 13*, & Majol. *de admir. nat. reb. colloq. 1, §, & siccitas pagina mihi 32.*

38 Beatus item Afrates † quomodo locustas fugaverit testatur Theodor. in illius vita sequentibus verbis. Iam verò dicunt, etiam, quòd cum locustæ aliquando regionem repente invasisent, & instar ignis omnia consumerent, segetes, arbores, prata, & nemora, venit ad eum quidam vir pius rogans ut opem ferret unum quidem agrum habenti, ex eo autem, & se, & uxorem, & filios, & familiam alenti, à quo etiam imperatoria exigereur collatio, sic ergo rursus Dominicam imitans benignitatem, iussit ad se adferri congium aquæ. Postquam autem aquæ congium attulit, is qui orabat, siquidem 40 manum imposuit; Deum autem est precatus, ut fluentem impleret divina virtute, deinde finita oratione, iussit, ut in prædij limitibus aqua aspergeretur, qui eam attulerat, fecit, ut iussus fuerat, idque fuit illis agris pro vallo sacrosancto, & inexpugnabili. Nam usque ad illos fines restantes, & circumvolantes locustæ, instar exercitus, rursus retrocesserunt, benedictionem impostam extimescentes, & veluti quodam freno suffocata, & ultra progredi prohibita. *Mal. de acq. bened. sect. 3, cap. 4, 5, num. 12, & 13.* & idem Majol. *de admir. nat. reb. colloq. 5, §, memini.*

39 Simili modo † eadem aqua benedicta

fuerunt fugata à Sancto Theodoro, ut testatur Metaphrast. *in ejus vita, Marf. eod. cap. 5. num. 41, & 42.* & Beatus Vincentius iussit afferri aquam benedictam, deinde cum clericis, qui eum affectari solebant, hymnos canentibus, ad singulas Murciæ civitatis Hispaniæ citerioris portas accessit, stansque in illarum medio contra ea loca, in quibus dicta animalia grassari dicebantur, sacratam aquam asperxit, & ecce postridie omnia extincta sunt reperta, & intra paucos dies agri, & vineæ adeò restituta fuere, ut illo anno nulla fuerit penuria subsequuta, ut testatur Petr. Raul. *in ejus vita lib. 3, ad fin. Marbl. ead. sect. 3, cap. 6, num. 46.* Id etiam, & alijs probat exemplis, idem Majol. *de admir. nat. reb. eod. §, memini,* & Elizeus terram Hierico, quæ sterilis erat, aqua asperxit, quæ fructus postea produxit copiosissimos *Reg. lib. 4, c. 2, infra & Marf. ead. sect. 3, c. 2, num. 39.*

Vesparum † etiam aliquando tanta copia superabundavit, ut oppida deleverint: Nam Phaselitas vesparum fugarunt, ut testatur Eliam *hist. anim. lib. 11, cap. 28.* Quare apertissimè spectatur Christi virtus, & gratia, quàm suis infundit fidelibus levis. Vnus enim Friandus vesparum multitudinem, quæ integram Phaselitarum plebem fugarat, solo signo crucis abegit. Idem etiam apud Naumaticam Urbem præstitit: Nam cum messorum ab innumera vesparum vi, aculeis infixis, vexarentur, Friandus oratione præmissa, adhibito eodem crucis signo, fugavit. *Gregor. Turon. in ejusdem Friand. vit. & Majol. de admir. nat. reb. eod. colloq. 5, §. accedit, & aliud pag. mihi 243.*

M m m m

Hodie